



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 5. Item pueris ante annos discretionis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

pigmentis vultu illito, non pectore, nudo aut tenui velo obtecto, sed ita vestito, ut ne præter faciem quidquam cernatur, velo denso bene super faciem demisso, ad hoc Sacramentum accedant, secus esse repellendas.

Quæst. 4. Debet-ne dari Eucharistia iis quorum peccatum non est publicè notum?

Resp. Sanctus Thomas hanc egregiè solvit difficultatem, cum ait; *Si Sacerdos sciat peccatum alicujus, qui Eucharistiam petit per Confessionem, vel alio quolibet modo: distinguendum est, quia aut peccatum est occultum, aut manifestum. Si est occultum aut exigit in occulto, aut in manifesto. Si in occulto, debet ei denegari, & monere, ne in publico petat. Si autem in manifesto petit, debet ei dari.*

S. Tho. in 4.
dist. 9. art. 5.
in resp. ad 1.
quæst.

Primò, quia pro peccato occulto pœnam inferens publicam, revelator est Confessionis, aut proditor criminis. Secundò, quia quilibet Christianus habet jus in perceptione Eucharistia, nisi illud per peccatum mortale admittat; unde cum in facie Ecclesia non constet istum amisisse jus suum, non oportet ei in facie Ecclesia denegari.

Rituale Romanum de Sacramento Eucharistia ait: *Occultos verò peccatores si occultè petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat; non autem si publicè petant, & sine scandalo ipsos præterire nequeat.*

Quæst. 5. Debet-ne pueris ante annos discretionis dari sancta Communio?

Resp. Licet prioribus Ecclesie sæculis quibusdam in locis concessa fuerit pueris sacra Communio; hæc tamen consuetudo prudentissimo Ecclesie judicio, & autoritate nunc penitus exolevit; *Pueris item, ait sanctus Carolus, qui propter ætatis imbecillitatem nondum hujus Sacramenti cognitionem & gustum*

S. Carol. Aët.
P. 4. De Sa-
cram. Eucha-
ristia.

De Sacram. Euchar. Cap. IX. 175

habent, Sacram Eucharistiam non ministrabit.

Rationem affert Divus Thomas, dum ait; Dicendum, quod pueris carentibus usu rationis, qui non possunt distinguere inter cibum spiritualem & corporalem, non debet Eucharistia dari, quia ad Eucharistia sumptionem exigitur actualis devotio quam tales pueri habere non possunt: pueris autem, jam incipientibus habere discretionem, etiam ante perfectam aetatem, puta cum sint decem vel undecim annorum, aut circa hoc, potest dari, si in eis signa discretionis appareant & devotionis. Quod praesertim intelligendum est, si mortis immineat periculum, ne sine hoc Viatico discedant.

D. Th. in 4.
dist. 9. art. 5.
in resp. ad 4.
quaest.

Quaest. 6. Quomodo intelligendum est quod refertur in Canone, ubi sic ait Bonifacius Papa: Non cogitetis eos vitam habere posse, qui fuerint expertes Corporis & sanguinis Christi, dicente ipso, nisi manducaveritis Carnem meam, non habebitis vitam in vobis?

Can. In Ecclesia. De Consecr. dist. 4.

Resp. Sanctus Thomas sic ait; Intelligendum est, quantum ad rem Sacramenti, quae est unitas Ecclesiae, extra quam non est salus, neque vita; & non quantum ad Sacramentalem manducationem.

D. Th. in 4.
dist. 9. art. 5.
q. 4. ad 2.

Quaest. 7. Debet-ne dari Sacra Communio amentibus rationis usu carentibus?

Resp. Dicendum cum Divo Thoma, quod de amentibus distinguendum est: quidam enim dicuntur large amentes, quia debilem mentem habent, sicut dicitur invisibile quod male videtur: & tamen sunt aliquo modo docibiles eorum quae ad fidem & devotionem Sacramenti pertinent: & talibus non oportet Corpus Christi denegari. Quidam vero sunt

S. Th. in 4.
dist. 9. art. 5.
in resp. ad 3.
quaest.